

CXIII.

Anno 1387. Budae.

**Sigismundus Rex Dalmatinos ac Croatas ad fidelitatem,
Regi ac Regno debitam, hortatur.**

Sigismundus Dei gratia Hungariae, Dalmatiae, Croatiae etc. Rex, ac Marchio Brandenburgensis, fidelibus suis universis Nobilibus et alterius conditionis hominibus, in Regnis nostris Dalmatiae et Croatiae existentibus, salutem et gratiam. Fideles nostri dilecti! Licet Joannes de Hericart, pridem Banus, et Joannes (de Palisna), gerens se pro priore Auranae, Sacrae Coronae, et Regni Hungariae, et nostrae Maiestatis speciales aemuli, in Regnis nostris grandia hactenus commisissent scelera, et iam, ut communis asserit relatio, se perpetrare, quod non credimus, disponunt; tamen altissimo annuente in brevi, una cum fidelibus nostris Praelatis et Baronibus Regni Hungariae deliberabimus opportuna exhibere obstacula, et tales nostros rebelles de eorum protervia digne emendare; quare requirimus vestrae fidelitatis universitates, vobisque serius committentes, quatenus in fidelitate, qua hactenus sacrorum Regum temporibus vestri Praedecessores, ac etiam vos fideles fuistis, et adhuc vos esse firmiter speramus, persistere debeatis, eisdem ipsis aemulis viriliter resistendo; de quo vobis et cuilibet vestrum volumus generosius reminisci. Datum Budae in die Caenae Domini. Anno eiusdem M.CCC.LXXX septimo.

Lucius. De Regno Dalm. et Croat. Lib. V. cap. II.

CXIV.

Anno 1387. 1432. 1451. 1481.

**Mathias Rex privilegia, incolis Scrisiae seu Bagi a Comitibus Corbaviae a. 1387, 1432, 1451 concessa, his literis,
a. 1481 die 29. Decembris Budae datis, confirmat.**

Nos Mathias, Dei gracia Rex Hungarie, Bohemie etc. Memorie commendamus tenore presencium significantes, quibus expedit vniversis, quod Nobilis Mirko, filius Georgij Mirkowych de Scrisia, nostre Maiestatis veniens ad